

Sermo

Iosj.

diem resurrectionis custodiri propter tria. Primo quia sicut se probavit esse verum hominem moriendo in cruce. sic voluit probare mortem suam manifestam et visitatam morientium sepulturam. Secundo quia vnus est de articulis fidei tam antiquorum quam modernorum de morte et sepultura christi. vnde si non fuisset morte mortuorum sepultus inaniter videretur iste articulus in fide positus. Tertio quia melius et honorabilius probata est resurrectio eius a mortuis resurgendo de sepulchro clauso et signato sub custodia armatorum. Et nota quod sicut mors eius fuit nobis in remedium sic sepultura in exemplum. Primo quia facta est cum mirra habundantia et vngentorum fragrantia. in signum quod in morte antequam sepeliamur debemus esse inuoluti penitentia que per mirram intelligitur. et tales nos in conuersione exhibere coram hominibus ut post sepulturam nostram remaneat apud viuentes odor bonus vite et bone fame preterite. Illi enim qui in peccatis viuunt et in peccatis vitam suam finiunt sicut coram deo et hominibus fuerunt in vita fetidi. sic moriendo relinquunt post se fetorem. Secundo quia facta est in orto et a sanctis viris scilicet a Ioseph et nicodemus. sic eius exemplo debemus libenter sepeliri in orto religionis ubi sunt viri sancti qui nos aromatibus id est virtutum odoribus delectant. Tertio quia per sepulturam dominus effectus est de consortio sepulchrorum. et resurgendo de sepulchro dedit nobis intelligere quod qui sepulti sunt cum eo per penitentiam resurgent cum eo per gloriam. Sequitur in euangelio quod dum iste mulieres venissent ad sepulchrum terremotus factus est magnus id est iam factus erat scilicet domino resurgente. sed tunc angelus domini descendit de celo et reuoluit lapidem sepulchri et sedit super illum et erat aspectus eius sicut fulgur. et eius vestimentum sicut nix. Et custodes in aduentu et aspectu angeli sic exterriti sunt quod ceciderunt in terram. Hic sunt multa notabilia. Primum est quod qui accedit ad corpus christi sumendum debet ire in vna sabbati id est in pace peccatoris. et debet esse in anima circumdatus penitentia et debet habere aromata id est bona opera et bonam famam alioquin indigne accedit. Secundum est quod exemplo earum debemus in periculis in rebus dubiis in tribulationibus in quibus nobis deest humanum auxilium semper diuinum auxilium implorare. Paral. Cum ignoremus quid agere debemus. Tertium est quod sacerdotibus verbum dei annunciantibus et bonis religiosiis qui omnes angeli in scriptura vocantur. debemus multam reuerentiam exhibere. monita ipsorum libenter audire et tandem nomine suarum orationum suffragia implorare. Quartum est quod locum ubi corpus christi reponitur. ostenditur et consecratur scilicet ecclesia debemus libenter visitare. Sequitur quod